



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ**

**Melanchthon, Philipp**

**Vitebergæ, 1561**

**VD16 M 3167**

In Alteram Ad Timothevm Enarratio Domini Philipi Melanthonis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36308**

II. EPISTOLA AD

*Etum infra positum 1. Timoth: 6. Sperent in Deo uiuente & prabente nobis omnia ad fruendum, ubi etiam testatur uictum nobis à Deo dari, sed dari ad fruendum, id est, ad usum conuenientem naturæ, non ad profusiones Antonianas & c.*

*Finis primæ Epistolæ.*

IN ALTERAM  
AD TIMOTHEVM

ENARRATIO DOMINI  
PHILIPPI MELAN-  
THONIS.



SECUNDAM EPISTOLAM ad Timotheum scripsit Paulus Romæ captiuus, cum eum se ex Epheso uocaret. Confirmat & consolatur eum, præcipit doctrinæ puritatem custodiat, & eligit idoneos doctores. Miscet admonitiones de summa doctrinæ, de lectione Prophetarum librorum, de uenturis disidijs. Et multa illustra sparsa sunt in hanc breuem Epistolam, ut, ἄνα ζωπυρῆς, id est, excitare uelut ignem Dei in nobis. Iubet ὀρθομῆς, id est, recte

uerbum Dei. Sermo hereticorum serpit ut Gange-  
 na morbus. Erunt homines ἄσοφοι, ἄπνο-  
 ῖοι, τετυφώμενοι, Et alia multa digna singulari  
 consideratione.

Initio autem fit mentio auæ & matris Ti-  
 mothei. Sciant iuniores ibi ea quæ de patria &  
 parentibus Timothei scripta sunt in actis cap. 16.  
 Natus est Timotheus in oppido Lystris, quod in  
 Lycaonia situm est, sub Galatia, non procul ab  
 Iconio, quæ urbs non procul abest à Tauro mon-  
 te, Et sæpe celebratur in historijs, Et propter no-  
 men εἰκωπ multæ fabulæ de ea traditæ sunt, Sed  
 existimo propter insigne idolum sic appellatum  
 esse. Pater Timothei Ethnicus fuit, mater &  
 auia fuerunt mulieres Iudaicæ, quibus quidem  
 tribuit Paulus testimonium ueræ inuocationis.  
 Sic olim inter gentes propagata est agnitio ueri  
 Dei.

Initio autem iubet eum excitare dona Spi-  
 ritus sancti, & illustri uerbo usus est, ἀναζω-  
 τώσῃ, quod significat ignem penè extinctum  
 rursus excitare, & sæpe usurpatur pro eo quod  
 dicimus, rursus accendere calorem in corpore  
 penè extinctum. Ideo autem pleniore uerbo  
 usus est, ut taxet ignauiam & hypocrisin, Vult  
 nos nec ociosos esse nec laxare frenum cupidita-  
 tibus. Deinde ubi est diligentia, non sit hypo-  
 critica,

M critica,

II. EPISTOLA AD

critica, ut sunt superstitiosa exercitia Monachorum, sed sint opera utilia. Et sint in mente uera noticia filij Dei, pœnitentia, timor, fides, uera inuocatio.

Sed dicat aliquis, quomodo exuscitantur dona? Respondeo. Homo renatus non est ut statua, sed ideo datur Spiritus sanctus, ut inchoetur in nobis libertas, & possumus iam inchoare obedientiam, nec Spiritus sanctus est ocium, sed est flamma & agitatio diuina repugnans Diabolo, & infirmitati carnis, & accendens motus tales, qualis ipse Spiritus sanctus est. Ideo dictum est ad Romanos octauo capite. Spiritus opitulatur infirmitati nostræ. Item Ephe: 5. Ambulate accuratè, non ut fatui. Item, 1. Corinthe 6. Adhortamur uos ne frustra gratiam accipietis. Item Lucæ 16. Quanto magis dabit pater uester cœlestis Spiritum sanctum petentibus. Item 1. Petri 5. Sitis sobrij ad precessionem. Excitantur igitur dona primum omnium cogitatione doctrine, Deinde inuocatione, exercitijs pœnitentiæ, consideratione nostræ infirmitatis, repugnando subitis incendijs affectuum, sustinendo certamina & pericula in confessione. In talibus actionibus uult Paulus crescere dona, sicut dicitur Lucæ 19. Habenti dabitur, Et huc pertinet tota parabola de negociantibus.

*Non spiritum timoris. &c.*

**R**etineamus usitatam distinctionem: Alius est timor seruilis, uidelicet pavor sine fide, cum quo sunt fremitus & indignatio aduersus Deum, & horribilis fuga Dei, & poenarum, ut in Saul, Iuda & similibus: Alius est timor filialis, uidelicet uerus pavor cum fide, id est, consolatione, qua cor iam acquiescit in mediatore, non fugit Deum, sed agnita eius misericordia luctatur cum pauore, & incipit credere Deo, inuocare eum, & se ei subicere uera reuerentia. Talis timor est in Ioseph & in omnibus sanctis. Hec in experientia, in quotidiana inuocatione considerentur, non inuoluantur obscuris dubitationibus.

Sit igitur haec plana responsio: *Non dedit nobis Deus Spiritum timoris,* id est, timorem seruilem, indignationem aduersus Deum, & horribilem fugam, non dubitationes.

Econtra nominat *Spiritum potentiae,* id est, spiritum potentem seu fortem, primum fide uiuificantem corda & consolantem, ut ad Deum accedant, non fugiant, non irascantur, non opprimantur desperatione & morte. Est

M 2 item

II. EPISTOLA AD

item potens seu constans in retinenda assensione doctrinae contra Diabolos, & contra hostes angelij. Est & fortis in perferendis odijs & cruciatibus, in confessione. Ex his effectibus intelligi potest quid nominet spiritum potentem. Sic & in primo capite ad Ephesios inquit: *Credentes secundum efficaciam potentiae roboris eius, quam potentiam effecit per Christum excitans eius a mortuis, id est, Deus efficax est in confessione, & fide uiuificat & liberat ex morte, confirmat assensionem in corde, & constantiam in confessione.*

*Spiritum dilectionis &c.*

**A**Ntea nominauit spiritum potentem, ut a lustri uocabulo ignauiam & hypocrisiam exaret. Intelligit enim ueros motus, quibus excitamur in pauoribus, et exuscitamus ad innocentionem, et confirmamur in confessione & in combatibus periculis & laboribus ministerij contra diabolos & eorum organa. Nunc nominat spiritum dilectionis, ut enim prius de uiuificatione dixit, ita iam de uirtutibus erga alios loquitur. *Etsi autem uocabulum Dilectionis alijs*

ter usurpatur, tamen hic complectitur dilectionem erga Deum, & erga homines propter Deum, ut cum dicitur Roman: 13. Dilectio est impletio Legis. Et significat Spiritu sancto accendi dilectionem erga Deum, id est, feruorem & zelum in conseruatione doctrine, inuocationem, gratiarum actionem, & leticiam in Deo, patientiam in cruce & confessione. Deinde erga homines significat amorem concordie, curam uitandi odia & semina dissidiorum, repressionem superbie & cupiditatis uindictae, placide monere & audire alios. Deniq; sumatur declaratio dilectionis ex ipso Decalogo. Ac datur Spiritus sanctus, ut accendat motus congruentes Legi diuinae. Et talis est ipse, quales motus in Lege describuntur.

Quoties autem dicitur de dilectione nostra erga Deum, sciant auditores oportere dilectioni fidem antecedere, & sensum dilectionis Dei erga nos, quia cor non accedit ad Deum, nisi fide acquiescat in Mediatore, & statuatur Deum reconciliatum esse, ut dicitur ad Ephesios 4. Per hunc habemus accessum ad DEVM fide. Hoc cum fit, sentitur consolatio, quae est agnitio dilectionis Dei erga nos, de qua dicitur ad Romanos 15. Dilectio Dei effusa est in corda nostra per Spiritum sanctum, id est, sentimus nos diligere a

M 3 Deo.

## II. EPISTOLA AD

Deo. Et Roman: 8. Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Item apud Zachariam capite 12. Effundam super domum David spiritum gratiae & precum. Nominatur spiritus gratiae, quo sentimus nos esse in gratia in uera consolatione, in luctu paenitentia. Hec consolatio cum fit in nobis, uicissim inchoatur dilectio nostra erga Deum, Et sequuntur inuocatio, gratiarum actio, leticia in Deo, patientia in cruce, Quia hos interiores cultus Prophetata complexus est nomine inuocationis. Hec consideratio de uocabulo dilectionis & de fide prelucente ualde necessaria est.

### *Spiritum modestiae.*

Considera restrictionem, Spiritus potens seu fortis est acer, agit negocia difficilia, & adit magna pericula. Sed tamen sancti prospiciunt metas, non euehuntur extra uocationem, sicut multi qui primùm spiritu ardentis egerunt res utiles, postea elati rebus secundis tentarunt aliqua extra uocationem, cum quidem existimarent se recte facere, quae postea exitus tristes habuerunt, ut Samson, Iosias & alij.

Historiae prophanae habent innumerabilia exempla, quia Duces ignorantes Deum non frenantur spiritu sancto, ut Hercules, Themistocles,

Pater



Pausanias, Marius, Pompeius, Iulius. De his omnibus uera fuit uox: Deponit potentes de sede. Item 1. Petri 5. Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Hæc bellatorum exempla magis incurrunt in oculos.

Inde utcumq; considerentur exempla regentium Ecclesias. Multi suo quodam zelo multa rectè fecerunt, postea fiducia sui uel dogmata finxerunt, uel alias res extra uocationem mouerunt, ut Gregorius multa instituit, Et Episcopi sæpe prætextu religionis mouerunt seditiones, & multi omnibus temporibus quodam stulto zelo prætextu religionis uolunt constituere nouas politias. De talibus omnibus dicit ad Romanos capite 12. Sapite, sed ad modestiam, id est, manete intra uerbum & uocationem. Et 2. Petri 1. In fide in uirtutem, in fide in scientiam, id est, fides non sit ignaua, sed sit ardens, ardeat autem cum iudicio & delectu.

Ita quia hoc loco addidit restrictionem, Deus nobis dedit Spiritum fortem, sed tamen impeditus moderantem, & compescentem animos, ne elati dogmata fingant, aut nouos cultus, ne sint tubæ seditionum, ne Ecclesiam dilacerent λογισματικῶς aut alijs non necessarijs rixis. Ita contra stultum zelum, contra superbiam, contra cupiditatem uindictæ, contra πολυπραγμο-

Μ 4 σννψ,

## II. EPISTOLA AD

ΘΥΡΩΝ, & contra petulantiam nominat spiritum modestiæ, id est spiritum compescentem & moderantem inordinatos impetus.

Cæterum notum est in sermone Apostolico vocabulo ὁρρωσύνης comprehendi modestiam, temperantiam & castitatem, Item cum dictum sit de uirtutibus, quæ in conuersis accenduntur à Spiritu sancto, repetenda est & admonitio de doctrina iustificationis. Quamquam in conuersis certissimum est esse Spiritum sanctum, quem pater & filius in corda eorum spirant, & obedientia in eis inchoata est: tamen statuere debent, se non illa nouitate iustos esse, id est, habentes remissionem peccatorum, & acceptos esse ad uitam æternam, sed propter Mediatorem filium Dei, cuius merito placata est ira Dei, & qui est perpetuus intercessor, cuius merita nobis donantur, ut imputetur nobis iusticia. Hunc mediatorem fide apprehendi oportet, & retineri hanc perpetuam consolationem, quòd propter hunc mediatorem placeamus, non propter nostram nouitatem, cum qua multum adhuc sordium est, iuxta dictum Psalmi 143. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, scilicet propria dignitate seu qualitatibus, sed iustificati fide peccata habemus.

Quòd autem aliqui dicunt, nos esse iustos  
iustis

inhabitatione diuinitatis, sciendum est, inhabitationem esse effectiorem nouitatis. Hæc effectio ita fit, cum cor prius apprehendit remissionem peccatorum & consolationem, intuens in mediatorem filium DEI, & statuens te propter illum mediatorem habere remissionem, & iustum esse, id est, placentem DEO, non propter effectiorem nouitatis aut nouitatem. Ita manet uera propositio: Paulus conuersus habet remissionem peccatorum, & est iustus, id est, acceptus Deo propter meritum CHRISTI, seu propter propitiatorem sola fide, iuxta illud: Quem posuit propitiatorem per fidem per sanguinem eius. Hæc consolatio semper fit in conspectu, qua cum reguntur corda, simul fit uiuificatio, & illud quod dicitur Ioannis decimoquarto. Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Discernenda tamen est consolatio à nouitate, quia in uero agone cernimus nostra peccata, & iram Dei, nec potest niti iusticia, nostra nouitate, iuxta illa dicta Exodi 34: Coram te innocens non est innocens. Item Iob nono. Verè scio quòd non sit iustus homo coram Deo.

*Ne igitur te pudeat testimonij  
Domini nostri.*

M s Dixit

III. EPISTOLA AD

**D**ixit datum esse Spiritum non timiditatis, sed efficacem in consolatione, & constantem in confessione. Nunc addit adorationem tanquam consequens. Ergo esto constans in confessione, non pudeat te testimonij, id est, confessionis, non frangaris specie crucis, & econtra auctoritate & sapientia aduersantium, sicut alibi inquit 1. Corinth: 9. Non pudet me Euangelij. Sicut manifestum est moderatæ naturæ ingentem dolorem esse, stare inter paucos & spretos, & uideri stultè aut petulanter aduersari summorum hominum, qui antecellunt sapientia, uirtute, auctoritate, iudicijs, & turbare publicum statum, dici facem seditionum, tubam bellorum esse. Aduersus hanc tentationem Esaias inquit capite 39. Ne timete probra hominum.

*Sustineas mala cum Euangelio secundum potentiam Dei, qui fecit nos saluos 2c.*

**P**ostea inserit sepe repetitum dictum: Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram Deo. Affirmat nostra opera neque

quam esse causam uel meritum remissionis peccatorum seu reconciliationis, sed dicit nos secundum propositum Dei & gratiam saluari & uocari. Intellige gratiam gratuitam misericordiam Dei erga nos promissam propter filium, sicut sæpius loquitur Rom: 5. Multò magis exuberat gratia & donum per gratiam uel in gratia. Vbi gratia significat relativè gratuitam acceptationem, Donum uerò significat donationem Spiritus sancti, nouam & æternam iusticiam & uitam.

Complectitur enim integra beneficia, nec filius Dei sic tantum aufert peccata, ut non imputet, & tamen natura maneat in his sordibus & in morte, sed reipsa aufert, cum restituit uitam æternam.

*Scio cui credidi &c.*

Hic mouentur disputationes de dubitatione, An conuersus debeat manere in dubitatione, utrum habeat remissionem peccatorum, & an sit in gratia? Hic plane respondendum est, Quamquam naturaliter hæret in hominibus dubitatio, tamen certissima doctrina est, & uox Euangelij perspicua, conuersos oportere uincere dubitationem, & statuere quod habeant remissionem peccatorum, & sint in gratia.

Ideo

## II. EPISTOLA AD

Ideo enim promissiones diuinitus tradita  
sunt, ut naturalis dubitatio tollatur, & non cre-  
denti seu manenti in dubitatione promissio in-  
anis sonitus est, Ideo Paulus inquit ad Romanos  
capite quarto. Ideo ex fide Gratis, ut sit firma  
promissio. Hec fides opposita est dubitationi,  
iuxta illud ad Romanos capite quinto. Iustificati  
Fide pacem habemus & accessum ad Deum.  
Quaquam autem sentitur trepidatio, tamen  
sciant corda dictum in Marco capite nono, Credo  
DOMINE, sed opem fer diffidentie mee.  
Sic petamus & nos confirmari, iuxta illud:  
Quanto magis dabit pater coelestis SPIRITUM  
SANCTUM petentibus, & hac fides  
intueatur promissionem, & crescat in im-  
molatione. Hoc cum fit, consolatio ipsa in nobis  
est testimonium, quo agnoscimus nos liberari ex  
morte aeterna, de qua consolatio inquit Paulus  
ad Romanos capite octauo. Accepistis Spiritum  
clamantem Abba pater. Hic Spiritus dat testi-  
monium spiritui nostro, quod simus filij Dei. Et  
in hanc sententiam ait Augustinus: Credeus se  
se credere.

Verum est autem Prophetas & Apostolos  
buisse singularia testimonia, quae eis in se prop-  
ter ministerium, et propter auditores ipsis data sunt.

tamen etiam ipsos priuatim confirmant, & tamen ipsorum fides nitebatur non illis donis & miraculis, sed misericordia propter filium Dei promissa.

Querunt Monachi hanc certitudinem non in promissione, sed in qualitatibus suis, Vbi cum inueniant immunditiam, iubent manere in dubitatione. Contra uero sciendum est, fidem inueniri promissionem, non qualitates nostras, sicut recte dictum est ab Augustino: Totius fiducia certitudo esse debet in precioso sanguine Christi.

*Formam retineto sanorum  
verborum.*

Repetit præceptum de conseruanda puritate doctrine, quod sepius in diuinis concionibus recitatur. Et summa comprehensa est in hoc dicto: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Vsus est autem Paulus hic singulari uerbo: *Retineas formam sanorum verborum*, id est, quæ tibi antea delineata est. Vult & res ipsas retineri, & modos loquendi perspicuos, & usitatos Prophetis & Apostolis.

Quam

## II. EPISTOLA AD

Quamquam enim non superstitiose postulat ubique eadem uerba recitari: tamen uult uitari ambiguitates & λογωμαχία.

Exaggerat autem præceptum, cum iubet custodiri doctrinam tanquam præclarum depositum. Constat autem in custodiendo deposito seuerissime postulari bonam fidem. Nec frustra addit: *Vt custodiat per Spiritum sanctum.* Vult non indulgere auditores rationi querenti cauillationes contra rectè tradita, uult inuocatione Dei confirmari corda, ut sint firma in retinendis rectè traditis. Multi indulgentes suis speculationibus, & habentes studium contradicendi excutiunt Spiritum sanctum, quales hic nominat quosdam Phigellum & Hermogenem & reliquos. Præcipit igitur ad Corinthios 2. Corinth: 10, redigi mentes in captiuitatem Christo.

*Det misericordiam domui.*

**N**ON prætereunda sunt hic exempla, quæ hic recenset Paulus, quorum prius est de Apostatis uel corruptoribus doctrinae, quod commonefaciat nos de insidijs Diaboli, & de nostra infirmitate. Cum enim hi defecerint, qui familiares fuerunt Apostolis, & spectatores fuerunt miracu-



miraculorum, quid postea fiet? Expauescamus  
igitur & oremus nos confirmari, ac meminere-  
mus illa dicta Lucae 22. Diabolus depoposcit uos  
ut cribraret uos tanquam triticum, ueruntamen  
ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua Petre.

Alterum exemplum est hominis benefici er-  
ga Ecclesiam, de quo genere Eleemosynæ extant  
præcepta, promissiones, commonefactiones &  
exempla, quæ omnia nota sunt. Genesis 12.  
Benedicam benedicientibus tibi, & maledicam  
maledicentibus tibi. Et Deuteronom: trigesimo  
tertio. Doctrina tua à uiro sancto tuo, Qui di-  
cit patri & matri, uxori & liberis, nescio uos,  
hi erunt custodes Legis meæ. Benedicam holo-  
causto tuo, Qui oderunt eum, non consurgent.  
Vides plura membra, Primum alligat Sacerdo-  
tes ad certum genus doctrine diuinis testimonijs  
traditum per Prophetas, Christum & Aposto-  
los. Postea addit præceptum quales esse uelit  
Doctores, uidelicet, tali robore fidei, ut antese-  
rât confessionem uitæ. Postea addit Promissionem  
quod sit exauditurus hoc Sacerdotium diuinitus  
ordinatum. Postremo minatur hostibus huius  
Sacerdotij, Syrach capite septimo. Time DO-  
MINVM & honore afficito Sacerdotes, &  
des eis partem eorum. Prouerbiorum tertio: HO-  
noræ

II. EPISTOLA AD

nora Dominum de primitijs frugum tuarum,  
 & replebuntur horrea tua abundantia, & ni-  
 no torcularia tua. Et Matthæi capite decimo.  
 Qui dederit potum aquæ frigide uni ex mini-  
 mis meorum propter doctrinam, Amen dico vo-  
 bis, non perdet mercedem suam. prima Corinthi-  
 nono. Nemo militat suis stipendijs. Et 2. Co-  
 rinth: 9. Qui dat semen seminanti, augetur se-  
 men uestrum:

Considerentur & exempla: Deus benefecit  
 obstetricibus Ægyptijs, quæ noluerunt interficere  
 infantes Hebræos. Reddidit gratiam hospiti  
 Abdia, qui abdiderat Prophetas in specubus con-  
 tra Iesabel. 1. Reg. 9. Item Abdemelech, qui be-  
 nefecit Ieremiæ, ut narratur Ieremiæ. 39. Et  
 hoc loco Paulus benè precatur Onesiphori fami-  
 lia, & infra agit gratias Philemoni propter be-  
 neficia erga Ecclesiam, & quidem dulcis-  
 mis uerbis usus est: *Viscera sanctorum*  
*per te reficiuntur.* Id est, in magnis peri-  
 culis & doloribus habent defensionem, & hospiti-  
 tium apud te, ita ut pericula depellantur, & le-  
 niantur dolores tuis officijs, in quibus nihil est fa-  
 catum. Vicissim igitur acquiescunt sancti succo-  
 leticia cordis sine metu & suspicionibus.

Iam hæc præcepta, promissiones, comminationes & exempla primum docent, nos quoque debere in hoc genere officiosos esse. Secundo consolatur beneficos, ut uicissim expectent auxilium à Deo. Tertio significant Ecclesiæ non deesse hospitia in hac uita, & qualia sint, uidelicet: rara apud summos principes, sed frequentiora apud mediocres, quales fuerunt Abdias, Abdemelech, Sergius, Onesiphorus, Philemon & alij similes.

## CAPVT II.

**I**N Secundo capite initio rursus testimonium extat ordinationis, uelle DEVM eligi ministros Euangelij per Ecclesiam, & approbare horum electionem. Quare sine ulla dubitatione horum ministerio est efficacax, iuxta dictum Rom. 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Deinde monet quales eligi uelit, ubi nominatim duas uirtutes flagitat, facultatem docendi, & fidelitatem, id est, assiduitatem & constantiam in ueritate. Cum autem sit mentio facultatis docendi, manifestum est multa comprehendi, ita supra iubet eligi *ἄσμενος*. Item ad Titum cap. 1. iubet eligi talem, qui possit refutare aduersarios.

N hæc

## II. EPISTOLA AD

Ad hæc difficilia opera necesse est, iuniores discendo præparari. Talibus dictis omnibus præcipiuntur, & approbantur studia doctrine. Hac erecti consolatione libentius discamus & feramus communes difficultates nostri ordinis, & expectemus auxilium & defensionem à Deo. Iuxta illud 1. Corinth. 15. Non est inanis labor uester in Domino.

*Nemo militans implicat se negotijs victus &c.*

Similitudo sumpta est à militibus, qui non possunt domi manere, ut regant economiã, neque uagari negotiationum causa, sed miles totus seruit sue functioni, Ita uult minister Euangelij totum seruire propriæ uocationi, & non ingerere se in alienas, in gubernationem politicam. Non habeat minister Euangelij alterum pedem in templo, alterum in curia. Et Petrus inquit: 1. Pet. 4. Non sitis ἀλλοτρίοις κεραι. Item 1. Thess. 4. In hoc sitis ἠρότιμοι, ut sitis quieti, & propriè agatis.

*Laborantem Agricolam oportet primum suorum laborum participantem esse &c.*

Vult Deus intellectum iusticie & aliam

uirtutum in hominibus lucere, ut agnoscamus ipsum qualis sit, & discernamus eum à malis naturis. Cum autem sit bonus & seruans creaturas, est etiam equalis, bonus bonis, id est, seruans bonos, & puniens malos. Hæc in eo equalitas nominatur iusticia. Ac docet nos quoq; iusticiam esse equalitatem, & eam à nobis flagitat. Hunc igitur ordinem instituit, ut homo seruet equalitatem erga homines, non noceat alijs, det res pro rebus, pro labore mercedem. De hac equalitate loquuntur dicta Leuit. 19. Diligas proximum sicut te ipsum. Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Lucæ 10. Dignus est operarius mercede. Talis est equalitas, ut is qui suo labore coluit agrum, fruatur rebus ibi nascentibus.

Cum autem Paulus antea præceperit, ne implicentur Doctores negocijs uictus, quæ impediunt officium, mox addit responsionem ad eam questionem, quæ opponi poterat, Vnde igitur uiuent docentes? Respondet proposita similitudine: Agricola fruatur suo labore, ita docentes uitium habeant ex collatione Ecclesiæ. Hoc præceptum sæpè repetitum est, Quia uerò addit Paulus admonitionem, *Considera quod dico, det tibi Dominus intellectum in omnibus,* significat non tantum loqui se de mercede corporali,

II. EPISTOLA AD

rali, sed etiam de incremento donorum, quae fideliter docentibus auget Deus, Vt Agricola primum fruitur suo labore, Sic Doctor fidelis primum percipiet sui laboris praemia, accendet Deus in ipso maiorem lucem, maius robur fidei, & alia dona, quia fideliter docet, sicut parabola de negociantibus docet, Luc. 19. Habenti dabitur, & a non habente etiam id quod habet auferetur.

*Presta te ministrum recte secantem sermonem veritatis &c.*

**E**Xistimo sumptam esse metaphoram à diuisione membrorum in uictimis, quas non licet temerè partiri, sed pectus & hamos oportet abscindi ab adipe, & dari Sacerdotibus, qui in uictimabant, Adeps, renes, cauda cremabantur, & Lex non solum significationis, sed etiam utilitatis rationem adhibuit, attribuit enim eas partes Sacerdotibus, quae sunt magis carnosae, reliqua cremabantur. Cauda significabat omnes actiones referendas esse ad Deum tanquam ad finem. Adeps seu pinguedo significabat rigari omnia Deo. Renes significabant carnales affectus cremandos.

Ab illa igitur arte secandi uictimam sumitur similitudinem, cum iubet recte secari uerbum Dei. Complectitur autem uniuersam diligentiam recte docendi.

docendi, & quia in docendo diuisionum et defini-  
tionū magna uis est, Doctorem tenere necesse est  
ordinem membrorum totius doctrinae recte distri-  
butum, ut manifestum est, horrendas confusiones  
sequi, quando non recte miscentur genera doctri-  
narum, Legis & Euangelij, doctrinae spiritualis  
et politicae. Assuesfaciat etiam doctor auditores, ut  
ipsi quoque integrum doctrinae corpus mente com-  
prehendere possint, & uideant seriem membro-  
rum, initia, progressionem & exitum. Hæc senten-  
tia etiam testatur placere DEO studia discenti-  
um, quia nemo potest recte docere nisi didicerit,  
sicut & supra 1. Tim. 4. monet, inquit: Attendite  
lectioni, consolationi & doctrinae.

*Prophanas uerborum inanita-  
tes vitato &c.*

**C**ancrena uocabulum, est factum à uerbo  
κῆρυξ, quod significat arrodere. Est au-  
tem malum seuius cancro, urens et arrodens car-  
nem & ossa, ut statim uelut in cinerem redigan-  
tur. Ac nisi membrum citò præcidatur, occidit  
hominem. Hac imagine significat impia dogmata,  
& celeriter latè uagari, & ualde perniciose esse.  
Qua in re non solum uanitas & leuitas humanae  
naturae agnoscenda & deploranda est, quæ dele-  
tatur mendacijs, sed etiam Diabolorum malicia,

N 3 & po

## II. EPISTOLA AD

et potentia consideranda est, qui gratis, sine ullo suo incommodo spargunt et confirmant tetros furores, tantum ut Deum contumelia afficiant, et odio Christi perdunt homines.

Cohorrescamus etiam cogitantes de potentia, de qua dictum est Luca 22. Satan intrauit in eum. Ac idola Ethnica omnium temporum mundi, Bacchanalia, humane uictimae, et alij furores, sunt testimonia eius potentiae, et inter eos, qui nominari uolunt Ecclesia Dei, semper fuerunt multa tetra deliramenta. Etiam tempora uicina Apostolica habuerunt turpissimas sectas inquinatas abominandis opinionibus et confusionibus libidinum. Haec exempla consideranda sunt, ut simus memores grauissimarum admonitionum Matth. 26. Orate, ne intretis in tentationem. Item 1. Pet. ult. Diabolus tanquam Leo rugiens circumit, quaerens quem deuoret. Exuscitet in nobis cogitatio periculorum, timorem et inuocationem, ne opprimamur ociosi, securi, ebrij, aut uoluptatibus, aut ambitione, aut alijs cupiditatibus, et opponat fides potentiae diabolorum potentiam Christi, qui dicit Iohan. 10. Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Item 1. Iohan. 3. Apparuit filius Dei, ut destrueret opera Diaboli. Item Gen. 3. Semen mulieris calcabit caput Serpentis.

Confite



Considerandum & hoc est, quod fasciatus à Diabolo Paulus inquit, paulatim in maiorem impietatem ruere, sicut alibi dicit, Rom. 1. Tradidit eos in reprobum sensum.

*Stat firmum fundamentum etc.*

**P**Aulus ingressus in hanc tristem commemorationem de dissipationibus Ecclesiae, opponit consolationes duas, Alteram publicam, alteram pertinentem ad singulos. Publica hæc est: Quod certissimum est tamen filium Dei sedentem ad dexteram æterni Patris, regnantem & reprimentem Diabolos, & adsiduè intercedentem pro nobis, esse Sacerdotem æternum, & colligere sibi Ecclesiam in genere humano, quantumcunq; aduersantibus Diabolis. Hoc decretum firmum & immotum est.

Tenenda est igitur hæc consolatio, semper fore aliquam Dei Ecclesiam, aliàs magis, aliàs minus frequentem, aliàs magis, aliàs minus oppressam erroribus, iuxta dicta Christi Luca 17. Erit sicut in diebus Noë & c. Item Matth. 24. Propter electos abbreviabuntur isti dies, Erunt semper aliqui electi usq; ad finem mundi, & non sunt electi, nisi in cœtu uocatorum. Iuxta illud Rom. 8. Quos elegit, hos & uocauit. Seruabit igitur Deus

N 1 semper

## II. EPISTOLA AD

semper aliquos rectè docentes & discentes, seu multos seu paucos.

Altera consolatio, Sed dicat aliquis, etiamsi mansura est electorum Ecclesia, quid hoc ad me pertinet, an & ego sum inter electos? Aut ubi illi quærendi sunt, cum ubiq; multum sit uiciorum & dilacerationum? Hæ quæstiones ualde turbant mentes, sed firmissimè tenendæ sunt hæ sententiæ diuinitus expressè traditæ, Primum quòd semper sint aliqui electi in hac uita, iuxta illud Matth. 24. Propter electos abbreviabuntur isti dies. Item Matth. 28. Ego uobiscum sum usq; ad consummationem mundi. Omnes autem electos sciamus oportere in cœtum uocatorum peruenire, iuxta illud Rom. 8. Quos elegit, hos & uocauit.

Cum uerò audimus electos tantum in cœtu uocatorum esse, quærunt mentes talem Ecclesiam, quæ sit polita tranquillissima, honestissima, & officiosissima. Sed ex uoce diuina sciendum est, aliud esse Ecclesiam, & aliud hospitium, scilicet politum, in quibus plurimi palàm sunt hostes Euangelij et Ecclesiæ. Deinde ipsa Ecclesia uisibilis in hac uita est cœtus bonorum & malorum, ut manifestè docent dicta Christi Matth. 13. Simile est regnum cœlorum sagena &c. Et in hac ipsa Epistola ad Timotheum dicitur: In magna domo sunt uasi

auri

aurea honorata, & testacea ad deformes usus facta.

Nec propterea dubitent pii, coetum in quo est professio uerae doctrinae esse ueram Dei Ecclesiam, etiamsi uident multos inquinatos manifestis uicijs. Hac praemonitione necesse est omnes esse confirmatos, ne faciant dissipationes, sicut Donatista faciebant. Sed maneamus in communi congregatione recte docentium, etiamsi magno cum dolore cernimus negligi disciplinam, & sit inuocatio piorum eo ardentior. sicut manebant in communi congregatione Zacharias, Simeon, & similes.

Audiuisti igitur ubi sint quaerendi electi, scilicet in coetu uocatorum. Iam cum disputat tuamens, an & tu sis in numero electorum, semper teneas hanc Regulam: Nos de uoluntate Dei ex uerbo ipsius iudicare oportere, cum agis poenitentiam, & in uera consolatione credis te recipi propter Mediatorem, certum est tunc te placere Deo, iuxta dicta Ezech. 18. Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Item Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Sic cum in agone perseueras in fide, & in inuocatione, certum est te esse electum, iuxta illa dicta Matth. 24. Qui perseuerarit in finem, hic saluus erit. Et Apocalypsis 14.

N 5 Beati

## II. EPISTOLA AD

Beati mortui qui in Domino moriuntur. Et Apocal. 2. Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam &c. Et 2. Corinth. 5. Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

Hæc dicta simul ostendunt oportere in hac uita inchoari sanctificationem, & certo beatos esse, qui in hac uita ad Deum conuersi sunt uera pœnitentia et fide, et in agone pœnitentiam & fidem retinent, iuxta illa dicta Ioh. 6. Hæc est uoluntas Dei, ut omnis qui credit in Filium, habeat uitam æternam. Item Iohan. 17. Hæc est uita æterna, ut agnoscant te uerum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Hæc simplex consideratio uera est, & utilis pijs mentibus.

Ceterum alibi sæpè dictum est, causam reprobationis esse peccatum in illis ipsis, quos Deus non elegit ad salutem, contra uerè electionis causam esse nequaquã nostra merita, sed misericordiam, qua propter Filium deprecatores & Mediatorem diuinitas recipit illos, qui fiunt membra Mediatoris, cum tracti uoce Euangelij fide amplectuntur filium Mediatorem, Ibi non indulgemus diffidentia, nec uelut Enthusiastæ expectamus uiolentos raptus, sed sentientes initia fidei clamemus ad Deum propter Filium, ut Spiritu suo sancto nos adiuuet sicut præceptum est Luc. 11. Quomodo

16. Quanto magis pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Impediuntur humanæ mentes de electione in Deo, cogitantes, cum imaginantur successionem temporum. Ab hac imaginatione cum utcumq; nos abducimus, multæ quæstiones tolluntur, ut etiam ueteres scriptores dixerunt. Recitata hac præmonitione de electione & de Ecclesia, melius intelligi potest cur Paulus dicat, *Si quis mundauerit se à vasis deformioribus, erit vas ad honorem.* Hæc mundatio non est desertio congregationis, sed est conuersio ad Deum.

Dices autem, Quomodo fieri conuersio potest, si tantum electio est causa? Respondeo, Electio sic est causa, ut Deus etiam uocare te uelit. Vult igitur te audire Euangelium, & non repugnare, non indulgere diffidentia, sed luctari cum infirmitate, & petere, ut Spiritu sancto adiuueris. Concurrunt enim hæc causæ, Verbum Dei, Spiritus sanctus, & uoluntas non repugnans, uerè luctans cum dubitatione, & petens ut iuuetur Spiritu sancto, sicut dictum est Rom. 8. Spiritus operam fert infirmitati nostræ.

Hæc fiunt magis perspicua considerato hoc fundamento, quod utraq; prædicatio uniuersalis est,

est,

## II. EPISTOLA AD

est, scilicet prædicatio poenitentiae, & promissio gratiae, & quod utrumq; præceptum uniuersale est, uidelicet, ut omnes & singuli agamus poenitentiam, & omnes & singuli credamus in filium Dei. Ad hoc fundamentum congruunt hæc dicta: Deus uult omnes homines saluos fieri. Item Act. 10. Rom. 2. Apud Deum non est acceptio personarum. Has consolationes tenere utile est ad refutandas multas questiones, & ad reprimendam tentationem de particularitate.

Sic ergo intelligatur Paulus hoc loco de mundatione: *Mundes te*, id est, agas poenitentiam, agnoscas errores & delicta, & doleas, & credas Euangelio, hæc cum fiunt, audita uoce Euangelij, simul Spiritus sanctus est efficax in uoluntate non repugnante, sed luctante cum dubitatione & petente auxilium.

### *Sectare Iusticiam &c.*

**I**ntelligo Iusticiam uniuersalem, id est, obedientiam iuxta omnia præcepta Dei. Quædam autem deinde adduntur nomina specierum, quæ incluse sunt in uniuersali iusticia, tamen non est inusitatum posito toto aliquas insignes partes deinde nominatim recitare, præsertim cum id sit singulari consilio, ut hîc uult monere Paulus, implacere obedientiam, quando coniuncta est cum fide.

fide, ideo expresse addit nomen fidei. Iactant obedientiam & hypocrite, ut Luc. 18. sed necesse est in Ecclesia semper in conspectu esse hanc Regulam Psalmi 143. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Sed quod certo habeamus remissionem peccatorum, & imputationem iusticie propter Mediatorem, sola fide, non propter nostras uirtutes, sicut ille Phariseus Lucæ 18. somniat.

Postea nominat dilectionem & pacem, ut opponat hoc contentiosis, qui prætèxtu iusticie mouent non necessaria certamina, de quibus dicitur Rom. 10. Habent zelum, sed non secundum scientiam, sicut de Paschate, de fermentato olim rixæ fuerunt, & multæ nunc sunt futiliores, ut de dormitione animarum, & an Noë mures induxerit in Arcam. Et ex sequentibus apparet nomina dilectionis & pacis hic expressa esse, ut maiore cura retineatur in Ecclesia concordia, Quia mox addit insignes admonitiones, quæ continent multa illustria uerba. Manifestum est autem necessariam esse uirtutem, dilectionem & studium retinendæ concordie, hæc autem retineri non potest, nisi infirmitates aliquas in alijs placidè toleremus,

& omittamus rixas de aliquibus  
non necessarijs quæstionibus.

PRO-